



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. VIII. An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex vi, vel metu?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

legis; licet Legislator etiam intendat per hoc ipsum securitatem conjugum, qui est finis extrinsecus legis. Caterum in supplicatione pro impetranda dispensatione in huiusmodi impedimento explicari debet, an oriatur ex machinatione, vel adulterio, aut ambobus: ita de Justis *cit. l. 1. c. 4. n. 188.* qui in seq. addit, si idem crimen sapius foret repetitum, de necessitate faciendam mentionem in supplicatione secundae petitionis, post impetratam dispensationem super crimine priori; eo quod crimina repetita semper difficiliorem reddant Pontificem ad dispensandum. Et hoc intelligi vult, si repetitum est *idem genus criminis* v.g. adulterium cum fide data; sed, ut hoc procedat, stylo id exigente (nam ex natura rei non est opus, cum, *aliis deliquisse, & gratiam obtinuisse*, sit qualitas extrinseca rei, de qua agitur) stylus in eo, quod exigitur, debet esse talis, qualem cum esse oportere, ut non observatus dispensationem vitiet, diximus à n. 1169. & seq. 2099. ac 2119.

§. VII.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex disparitate Cultus?

2155. Hoc impedimentum, de quo egimus à n. 1059. est juris tantum Ecclesiastici secundum dicta n. 1060. & docet Tolet. *in instruct. Confess. l. 7. c. 11.* & Sanchez *l. 7. de matr. d. 71. n. 8.* Ut in eo dispensatio concedatur, urgentissimae requiruntur causae, & rarissime datur, ut colligitur ex *c. Cave. 28. q. 1.* & docet Layman *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 1.* cum alijs. Si autem fidelis iniret matrimonium cum baptizato, sed proficiente actu Judaismo, aut Paganismo, *valide* quidem ageret, sed non *licite*; cujus ratio quoad primum est, quia non esset matrimonium inter non baptizatos, consequenter laborantes hoc impedimento dirimente ex n. 1059. quoad secundum autem, quia periculum perversionis, quod impendit fidei ex tali connubio, id graviter vetat.

Si autem baptizatus, Apostata à fide, & Paganismo, vel Judaismo actu professus infideli nuberet, invalidum esset matrimonium; quia ille non obstante apostasia, cum revera baptizatus sit, ma-

net ligatus legibus Ecclesiae matrimoniorum subditorum irritantis cum non baptizatis; sic Navarr. *in summa c. 22. n. 49.* Coninch. *d. 31. hic d. 3. n. 43.* de alijs; ad impetrandam autem dispensationem in hoc impedimento *provenientiam* ejus exponere sufficit; sed causae, ut dictum est, non nisi gravissimae sufficiunt, quales sunt conversio alicujus regni, vel provinciae, aut alia magnae considerationis emolumenta in Ecclesiam, aut domum graviter merita de illa, ex illo conjugio redundatura.

§. VIII.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex vi, vel metu?

Quando vis vel metus jure naturali dirimit matrimonium, dispensatio à Ecclesia fieri non potest; ubi autem dirimit jure solum Ecclesiastico, necessaria non est; cum per ipsos metum passos vitium purgari possit, rejecto metu consentiendo spontaneè in personam, à quam antè nulliter, nempe coacti, consenserunt; sic enim prius matrimonium validum evadet, saltem ex tempore dati consensûs absque metu, propter cuius praesentiam, & influxum antè nullus erat; sed ex hoc oritur difficultas, an in dato casu volens revalidare matrimonium, prius nullum ex defectu sui consensûs, ad matrimonij substantiam requisiti, & praestare consensum spontaneum, *de necessitate debeat alteri prius manifestare* nullitatem matrimonij, & de matrimonium novo utriusque consensu revalidare? vel sufficiat, eum, qui prius deficit, consentire noviter alterius consensu adhuc moraliter perseverante; vel utrumque renovare consensum, si prius nullus fuisset? Circa praesentem quaestionem jam egimus à n. 526. cum seq. & resolvimus ad revalidationem matrimonij nulliter contracti, ex defectu consensûs in uno, non requiri in altero absolutam notitiam de nullitate matrimonij, proveniente ex consensu invalido propter impedimentum in altero, puta, qui fuit vitiosus ex metu dirimente.